AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO & CLEMENTISSIMO

Monarchæ

CAROLO II,

DEI GRATIA,

Totius Imperii Britannici Regi;

Supremo, in Terris, Ecclesiæ Anglicanæ, sub Christo, Capiti;

Et Veræ Catholicæ Fidei Defensori.

CARMEN EUCHARISTICUM,

SUB AUSPICIIS

Illustrissimi & Sapientissimi Viri

D.D. *GEORGII SAVILL*,

Comitis HALLIFAX,

REGI à SECRETIORIBUS CONSILIIS.

Dicat, & Consecrat,

Devotissimus & æternùm obligatus subjectus

Carolus Dartiquenave Auditor & Convictor

In Scholâ Latino-Gallico-Mathematicâ

In Vico vulgò vocato *Oxenden-streeet*.

LONDINI,

Typis *E. Tyler* & *R. Holt*. 1681.

AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO & CLEMENTISSIMO

Monarchæ

CAROLO II,

DEI GRATIA,

Totius Imperii Britannici Regi;

Supremo, in Terris, Ecclesiæ Anglicanæ, sub Christo, Capiti;

Et Veræ Catholicæ Fidei Defensori,

CARMEN EUCHARISTICUM,

SUB AUSPICIIS

Illustrissimi & Sapientissimi Viri

D.D. GEORGII SAVILE,

Comitis HALIFAX,

REGIIS à SECRETIORIBUS CONSILIIS.

Dicat, & Consecrat,

Devotissimus & æternùm obligatus subjectus

Carolus Darriquenteau Auctor & Convictor

In Schola Latino-Gallica Nuthemarket

In Vico vulgo vocato [illegible]

LONDINI,

Typis *E. Tyler* & *R. Holt.* 1681.

AD

NOBILISSIMUM,

Eloquentissimum, & Eruditissimum Virum;

D. D. *GEORGIUM SAVILL*,

Comitem HALLIFAX,

REGI à SECRETIORIBUS CONSILIIS.

SAcratissimam Regis in hoc Imperio Majestatem acerrimè contemplatus, *Vir Illustrissime*, destinatum à Deo Britannorum custodiæ mihi videor Angelum intueri, Numen parum abfuit appellaveram, quippe constitutos eâ lege suorum regimini subditorum arbitror fuisse Reges, ut divini veluti scintillæ splendoris & sacra divinitatis examina colerentur, imbecillo populorum accommodata captui. Absit ut nostris erigenda Regibus altaria proponam, immolandas in propriis templis victimas, devovendos sacerdotes, quamvis illud in honorem Augusti Cæsaris factum non me lateat, neque Romani putem Idololatras Imperatoris, istis nocentiores

nationibus quæ Solem adoraverunt, ratus omninò iniquissimum, non animatam Supremi Numinis imaginem vivis & ratione præditis Iconibus stolidos anteferre.

Adulteratas Regiæ Majestatis Idæas à quibusdam Caco-politicis perperàm excogitatas invitus accipio; hominem, inquiunt, cœteris mortalibus similem, Regem Idolum plebs suo sibi bono creat conservat & extollit, in pristinam pro arbitrio conditionem, cum plebi placuerit, redigendum imò confringendum, si libuerit, & comminuendum. Insani! Nescitis, quòd nec ipsi Græci ignoravere ne Ethnici quidèm? Nescitis [1] à Deo esse reges? Nescitis ab ipsis illos passim vatibus dici divinitatis [2] alumnos? Et, si sacris cæcutitis in codicibus nescitis ab ipsis sapientiæ quondàm amatoribus humanos quosdam [3] Deos appellari reges?

Novi equidèm & suorum illos populorum esse pastores, & illud interesse bonos inter & malos principes discrimen, quòd [4] isti suis; illi suorum studeant commodis & utilitati; immortales igitùr

1 Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. Callim.

2 Διοτρεφέας βασιλῆας. Hom. &c.

3 ὁ βασιλεὺς ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων. Plat. Polit.

4 ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων. Arist. 8. Pol. c. 10.

igitùr omnipotenti Deo gratias tribuat Britannia optimum sortita Regem, qui quantâ populorum tranquillitati diligentiâ, quanto labore, quantâ sagacitate allaboret, noverunt universi, quippè qui vel externam totius regiæ dignitatis penitùs oblitus est pompam, ut ad populorum à Deo sibi subditorum salutem, pacem & prosperitatem sedulus incumbat. Si bonum ergò Principem, si clementem, si justum agnoscunt omnes, cur non illum venerantur omnes? Cur non eum omnes diligentèr colunt? Cur non observant? Salustium, si quis legat, habebit in promptu rationem: nemo, inquit, alteri Imperium volens concedit, & quamvis bonus ac clemens sit qui plus potest, tamen, quia *licet esse malo*, formidatur.

Inde vani isti, sed diuturni populorum timores, inde obstrepentium in angiportis perditorum hominum perfidum murmur; adeo ut crederes [1] inesse omnibus populis malignum quiddam & querulum in imperantes, & quod ut dicit *Seneca*,

Simul ista mundi conditor posuit Deus
Odium atque Regnum

[1] Παντὶ γὰρ δήμῳ τὸ κακόηθες καὶ φιλαίτιον ἔνεστι πρὸς τοὺς πολιτευομένους. Plut. Polit.

Nobili ergò benè ac generosâ mente terrarum Monarchas animat Deus, quâ perfidorum queant murmura dispicere, eo modo, quo supremus rerum omnium conditor impiorum blasphemias irridet & contemnit.

Populos quosdam aiunt Solis radiorum pertæsos & ejus ardoribus percussos, vindices in Solem sagittas solitos contorsisse, quibus mundi protenus oculum confoderent, ingens istud suis lumen spiculis moderaturi; verùm non respondit jaculantium votis insoliti certaminis eventus; stat Sol intemeratis radiis fulgens, & in pugnantium caput jacula recidunt, ausos in cœlum pugnavisse humi affigentia.

Præclarum arbitror impiorum, profanorum & perfidorum emblema; Quippe Blasphemæ & contumeliosæ illorum in Deum voces sursùm elatæ, in nubes maledictionibus feraces condensantur, quibus, diris autores veluti fulminibus icti funditùs & discussi momentò dissipantur corruuntque: Sic & clamorosum istud ac querulum malignantium & perfidorum hominum murmur, infausta sæpissime rebellionis & seditionis

Circios

Circios & tonitrua efformat, domesticorum vulgò malorum, excitantia tempestates.

Disperdat Deus minantia ista inter Regem & Populum Chasmata, & æternam, CAROLO DUCE, Britannis de Cœlo mittat pacem: Ecce bonis omnibus jam spes affulsit serenitatis, ex quò perspicacibus & sapientiæ plenis Comitis *Hallifax* consiliis Britannici Orbis Imperium tàm felicitèr gubernatur.

Perge, age, *Vir Illustrissime*, sagacissimis prudentiæ tuæ facibus in secretiora flagitiosorum hominum penitùs introspicere penetralia, & nostrum à cruentis malignantium manibus & potestate liberare Regem; si sapientis & optimi Patricii nomen ille meretur, qui salutaria Principi suggerit; quis illud sibi Te potiori jure nomen valebit & titulum vendicare, qui totam imminentibus adeo solertèr eripuisti periculis Britanniam, ut bonis admirationem civibus, horrorem incusseris ingratis & metum? Si eximia requiritur in Consiliario pietas, si sincera libertas, si invicta & impenetrabilis constantia; quis istis nobiliùs excellit virtutibus? Et quis istam

rectiùs

rectiùs propterea provinciam poterit suscipere? Nostro ergò sacratissimo Monarchæ, qui te in partem curarum assumpsit, *Vir sapientissime*, sis & oculi & aures. Regi consultissimis tuis monitis præluce; Regi prævide; Regi flebiles miserorum clamores exaudi, ut medearis; Regi perfida facinorosorum hominum cognosce murmura & inclamationes, ut ulciscaris & coerceas; Regi tandem providentissimis tuis consiliorum præcede luminibus * *Quasi Stella matutina in medio nebulæ*; non est radianti soli injurium si sibi corruscans antecedat Aurora; neque nostro erit usquàm Monarchæ inglorium, *Vir Eminentissime*, splendentem Te, in dissipandis conjurationum nebulis & noctibus veluti stellam matutinam, ponè sequi: sic enim fiet, ut vanescentibus minantium nequitiarum tenebris, fugatis Regii splendoris noctuis & bubonibus, Justitiam in Rege nostro cum clementiâ sapientissimè mixtam, Pacem cum fortitudine, Majestatem sine superbiâ, Temperantiam sine sordibus, & cæteras regias virtutes cuncti mirabuntur & suspicient: sic fiet, ut virtutibus regiis comes deinceps,

* Eccli. 50. 6.

hoc in Imperio, parebit fortuna, & totius Te Britannicæ felicitatis inſtrumentum & cauſam venerabuntur omnes pro meritis, immortales proindè tibi gratias habituri.

Optat & Precatur

Tui Studioſiſſimus

Et Obſequentiſſimus

Carolus Dartiquenave.

Περὶ τοῦ Σοφωτάτου Θεμιστούχου, Ἀρεισοπάγου βουλευτοῦ,

Πάνυ δικαίου τὸν τρόπον Δυνάστου

ΓΕΩΡΓΙΌΥ ΣΑΒΙΛΛΟΥ,

Πρωτεύοντος Ἀλλιφάξ.

ἘΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ἄνδρας ἄειδε θεὰ πολυβούλου καλλιέπειαν;
Καὶ δ' ὑπὲρ εἰρήνης, καὶ ἀγαθοῦ βασιλῆος ἀμῦναι.
Φράζε σαφῶς λαμπρὸν χάριν εὐσεβίης ἐρατεινῆς,
Εἴς τε γαλήνην, καὶ δ' ἐς πολέμοιο κυδοιμούς,
Μέλπε πολύχρυσον, τῷ πλούτῳ μὴ μεθύοντα,
Τῷ δὲ Θεῷ σφοδρῶς, τῷ δ' ἀξιόπιστον Ἄνακτι.
Κλεῖε τὸ δ' ἦθος ἄδιο χρυσὸν, κόσμον δὲ πατρίδι,
Οὗ γ' ἐν ἁλιῤῥόθιος καταφεύγει Βρετάνια κόλπῳ.
Εἰς πρὸς ὃν ἡσυχίην ποτ' ἔχει πέρας ἀγλαότιμος.
Ὃν πατρίδος σώζοντα πατρὶς σωθεῖσα καθυμνεῖ.
Εἶπε δ' ὅν, ὡς ἀληθῶς, βασιλεὺς λαός τ' ἀγαπῶσι·
Καὶ δὲ θεὰ ἔπεσκε ΓΕΩΡΓΙΟΝ ἉΛΛΙΦΆΞΟΝ[redacted]

Ταύτην τῶν μουσῶν ἀπόκρισιν ἤκουε

ΣΤΑΦΟΡΔΟΣ ὁ ΦΑΙΡΒΟΡΝΟΣ

Ἀκροατὴς καὶ συνδιαίτης ἐν τῷ τῶν Μαθησέων φροντιστηρίου.

De

De Sapientissimo Legum Assertore, Consiliario Vigilantissimo

Integris planè moribus Dynastâ

GEORGIO SAVILL,

Comite HALLIFAX.

EPIGRAMMA.

DIc mihi Musa virum tanta est cui copia fandi,
Qui Regem & leges, qui jus pacémque tuetur;
Eximiâ Heröem memora Pietate merentem,
Otia sivè Themis tribuat, seù prælia Mavors:
Magnas inter opes animum dic, Musa, modestum,
Sinceræ fidei versùs Regémque Deúmque;
Dic celebrem virtute virum, dic qui decus Anglo est,
In cujus gremium vexata Britannia fugit,
Atque in quo inveniet tandèm defessa quietem;
Quem Liberatorem patriæ & vocat Anglia patrem.
Dic quem, ut præsidium Regni, Rex diligit & Plebs:
Ille est illustris respondit Musa SAVILLUS.

Latinis Versibus reddidit

CAROLUS DARTIQUENAVE.



AD

REGEM.

HYMNUS.



Ymphæ, superbus quas Thamesis colit,
Myrti corollas nectite, & hostiam
Regi triumphales ad aulas
Ducite, & undique ferte lauros.

Rex innocentem reddidit Angliæ
Pacem, rebellis, fraúsque latet procul :
Adsis, fides, O! veritásque, &
Gaudia nos & opes manebunt.

Crinita latè terruerat loquax
Vulgus Cometes, militum in aëra
Pugnas perhorrescens, globósque
Grandinis insipiens stupescit:

Narrant ineptæ somnia Virginis
Anus, Manias *Democritus* probat,
Vendítque nugaces fabellas,
Ipse suos meritus cachinnos.

Hæc Monstra spectans, nescia Siderum
Plebs, aut casuros crediderat polos,
Aut fata Regnorum, vel Urbis
Tunc monuisse JOVEM ruinam:

Cultos colonus, delicias patris
Oblitus agros, semina negligit,
Nec pacta Cives, nec forum, nec
Fœnora, depositúmve curant.

Atque, ut fugaces, per salebras, favis
Passim relictis, æris, apes, senex
Hybloee, tinnitu laboras
Ad solitam revocare cellam,

Virtute

Virtute ſic Rex attonitum omine
Civem tuetur, prodigia explicat,
Et regiâ voce aſſuetos
Convocat ad populum labores:

Tollamus, inquit, fœmineos metus;
Lamenta fractæ nautica nil rati
Proſunt; nec undas vota placant,
Flamina nec precibus ſilebunt:

Inſtate tranſtris, & bolide horrida
Tentate ponti viſcera, nunc juvat
Pro luce communi rudentes
Et lacerata novare vela;

Haurite fluctus, mittite apluſtria,
Prodeſt dolonem & volvere ſupparos,
Thaſſaliarchæ ſed peritis
Præcipuè imperiis parendum,

Adſunt fideles ecce Britanniæ,
Tibíque amantes, Maxime Rex, parent;
Thalaſſiarcha es tu tuis, &
Tu Dominus, Pater atque Princeps.

Ut nauta prudens, exiguâ vice
Clavi, procellæ verbera devitat
Insanientis, sustinétque
Et Jovis & Pelagi furorem;

Sic tu carinam ducere providus,
Et inter omnes cogere turbines,
Solóque, regnandi peritus,
Consilio, Imperium gubernas.

Venti quiescunt, jamque silet mare,
Pacem Britannis CAROLUS attulit.
O! sancta Pax salve, usquè nostro
Sis comes assiduò Monarchæ.

Civem cruentis, ut libet, opprimant
Jussis Nerones, militibúsque ament
Terrere subjectum, atque iniquâ
Arte suos cumulent thesauros:

Hæc sors Tyrannis convenit, impius
Princeps serenis invideat viris,
Fortes trucidans, ecce vivit
Ense furens, gladiisque septus;

Atrox minetur cum timeat magis,
Juríſque legúmque arbiter inſolens,
Non pauperum, non orphanorum,
Non viduæ miſerans querelas.

Majora Te, Rex CAROLE, pax docet;
Te Gratiæ omnes, Te Veneres juvant,
Auguſta Te clementia, atque
Te tui amor populi tuentur.

En [1] Trinobantum Metropolis Tibi — *1 Middleſex and Eſſex.*
Proſtrata, ſupplex ſub pedibus jacet,
Vitamque fortunaſque, vota
Devovet intemeranda Regi;

Tibi fideles milite turgidum
Offerre campum, & dedere mœnia
Windeſoræ, [2] magníque Portûs — *2 Portſmouth.*
Cum [3] Bibrocis pepigere [4] Belgæ: — *3 Bark-ſhire. 4 Hantſhire, Somerſetſhire, Wiltſhire.*

Jam Cantium [5] affert ecce repagula — *5 Kent.*
Claveſque ponti, & nunc juge CAROLO
Jurat Sacramentum tumenti
Quidquid aquâ, [6] Gariene, luſtras. — *The River Yare which comes to Yarmouth.*

E Servaſſe

Servasse Regem [1] Danmonii suos
Fatentur agros, & benè gratias
Solvunt & æternâ [2] Zoeni
Laude suum celebrant Monarcham:

Grates Tibi, O Rex, [3] Durotriges agunt,
Grates [4] Dimetæ, & [5] Cornavii suis
Et [6] Cassii, [7] Regnique grates,
CAROLE, suppliciis rependunt.

Antiquior gens & numerosior
Grato, [8] Silures, pectore debitum
Solvunt honorem, & Te supremum
[9] Ottadini, [10] Ordovicesque nôrunt:

Longos [11] Boduni & pacificos dies
Tibi precantur; colla Tibi [12] Coritaníque, pugnacissimíque
Subdere CAROLO avent [13] Brigantes.

Quid multa narrem? conspicere est suis
Provinciarum cum populis Duces,
Et milites civesque, & omnis
Passim ut adest procerum Senatus.

1 *Cornwall, Devonshire.*

2 *Suffolk, Northfolk, Cambridge, Huntington.*

3 *Dorsetshire.*

4 *Cardiganshire, Pembrokshire, Caermardenshire.*

5 *Warwickshire, Worcestershire. Staffordshire, Shropshire, Cheshire.*

6 *Buckinghamshire, Bedfordshire, Hartfordshire.*

7 *Surrey and Sussex.*

8 *Herefordshire, Radnorshire, Brecknockshire, Monmouthshire, Glamorganshire.*

9 *Northumberland.*

10 *Montgomeryshire, Merionethshire, Caernarvonshire, Denbighshire, Flintshire.*

11 *Glocestershire, Oxfordshire.*

12 *Northamptonshire, Leicestershire, Rutlandshire, Lincolnshire, Nottinghamshire, Darbyshire.*

13 *York-shire, Lancashire, Bishoprick of Durham, Westmorland, Cumberland.*
Cambden. Britan.

Legis

Legis-peritorum & Prolytæ & ſenes
Adſunt, adeſtis vosque, Novitii,
Ullasque plebiſcita Leges
Candida jure negat juventus.

Quàm dulce Regni jus tueare, vel
Lactentis ævi infantia prædicat,
Obturet ut linguam obſtrepentum
Hoſtium, & inſidias refutet.

Balbutientes, CAROLE, gratias
Niſi negâris, carmina profero,
Et ſemipaganos labores
Ipſe tuas rudis addo ad aras:

Tu, cùm nocentem (proh ſcelus!) Angliam
Vaſtant tyranni, cùm bona civium
Latrocinantur, ſervitutis
Tollis onus, redimiſque victos:

Solus beatos Tu populos rege,
Solus guberna, ne videant atros
(Haud poſteris fandum Britannis!)
Sanguine criminibúſque ſoles.

Hæreditates, Alme Deus, tuas
Prædatus hoſtis polluit; ah! patrum
Delubra, ſanctámque in profanis
Abdidit, heu! Solymam ruinis.

Hinc Bella & Arma, & jus ſceleri datum,
Hinc ſparſa CHRISTUM membra colentium
Jacent per agros belluarum
Dentibus, aut lanianda roſtris:

Et tanquam in armis Regia Sanctitas,
Timórve legum, aut numinis Angliæ
Regno exularet, ſubditorum
Colluvies dare jura tentat.

Quid vani in Anglos plebs dominamini?
Quæ tanta veſtri vos generis tenet
Fiducia? audaces Britannorum
Opprobriis onerare famam?

Quos Rex.——ſed abſit ſupplicium à ſuis
Princeps repoſcat; cædibus hoſtium
Non ſubditorum gaudet, uſus
Parcere, nec malefacta vindex.

Quicunque

Quicunque Regum ſemine non ſatus
Leges Britannis ponere ſuſcipit,
Fallacis incepti, ſuperbo
Cum Phaetonte, feret ruinam;

Ille inſolentes dùm novus arripit
Auriga frænos, ſidera defluunt;
Hic dùm ſcelestus nos gubernat,
Undique cuncta madent cruore.

Optate nobis, CAROLE Rex, ades
Fuſas tuorum Tu lachrymis genas
Abſterge, Regni flecte habenas,
Et ſtupidi aufugient tyranni.

Ut nequiores, quos Domini necis
Rumore falſo, nuntius impudens,
Non temperantes, in protervam
Luxuriem, famulos reſolvit;

Libidinoſis dùm rabidi gulis
Profusè inemptas deglutiunt dapes,
Dùm prodigi effrænis licentiæ
Deliciis, epulisque marcent,

Abrupta ſi ſors de ſubito domum
Herum reduxit, mancipia occupat
Servilis horror, conſcii haerent,
Attonitique tremunt nocentes:

Sic & rebelles crimina noxii,
Regem videntes, corda ſtupent metu,
Dùm, CAROLO regnante, avitis
Anglia divitiis abundat.

Unius olìm qui potuit caput
Servaſſe civis, prœmia ovantium,
Quercu ſolebant huic Quirites
Et redimire comas coronis:

Quibus coronis tempora CAROLI
Cingemus? uni non homini modò
Vitam tuetur, ſed Britannis
Imperium populoſque ſervat.

Satis decoras nec nemora arbores,
Nec prata flores, nec mare prodidit,
Nec terra gemmas, nec metalla
Digna caput redimire Regis.

Tibi tuorum, Rex, pretiosior
Amor corona est, hæc Tibi gloriæ,
Deus suis Te dùm merentem
Splendidiùs radiis adornat.

Nullum Ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusque est quam illa Corona: OB CIVES SERVATOS. Sen. I. de Clem.

FINIS.
